

CAP. III.

*Quarum rerum sit ferax Sinen-
sis ager.*

EX hac tanta hujus regni am-
plitudine, non ab Ortum solum
in Occasum (prout nostra excurrit
Europa) verum etiam ab Austro in
Aquilonem, contingit, ut alibi
nusquam toto orbe terrarum, tanta
sit rerum nascentium varietas, quæ
sub ejusdem regni cælo producun-
tur; hinc enim climatum diversi-
tas, & ex ea diversarum rerum fe-
racitas pendet, nam alia sub torri-
do, alia sub gelido, alia denique sub
Iove temperato feliciter educun-
tur.

Sinæ ipsi in suis chorographiæ
voluminibus, fuse quæque
Provincia ferat, enumerant, quæ
omnia hic persequi, esset ab insti-
tuta brevitate alienum. Illud in
universum cum fide dici potest,
quod ab omnibus scriptoribus as-
seri-